ANDREÆ HOMBORGII
JCti
COMMENTATIO
DE
LITERIS COMMENDATITIIS
von
Recommendations-Schreiben.

DVL CES
PER SPINAS
17 52
ARDVA TENTO

EDITIO NOVISSIMA.

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
CIↃ IↃCC LII.

COROLLARIA.

I.

Actio injuriarum Civilis in alterum per cessionem potest transferri.

II.

Nomina & actiones ad res mobiles vel immobiles non referuntur, sed tertiam speciem ab his separatam constituunt.

III.

A contractu emtionis venditionis perfecto, arrhis amissis resilire non licet.

IV.

Spuriis & vulgo quaesitis aditus ad dignitates non patet.

V.

Captivus, qui nullo alio modo ex captivitate se liberare potest, quam secundam superinducendo uxorem, poenam capitalem non incurrit.

VI.

Si sanguis ex vulnere, naribus, oculis, ore, aliisve corporis interemti partibus erumpat, praesente eo, qui de caede suspectus est, hoc non praebet legitimam homicidii commissi probationem, aut sufficiens ad torturam indicium.

VII.

Poena capitalis, ob insigne, quod reus callet, artificium, ex quo magna in rem publicam utilitas redundat, mitigari vel in aliam mitiorem converti potest.

VIII.

VIII.

Adſertio moribundi, quod hic vel ille cædem fecerit, non eſt ſufficiens ad torturam indicium.

IX.

Princeps ad interceſſionem meretricis, condemnatum adultimum ſupplicium in matrimonium petentis, veniam & gratiam eidem concedere valet.

X.

Pœnæ executio in corpora de mortuorum, qui criminis atrocis accuſati & convicti ſunt, fieri poteſt.

XI.

Condemnatus ad laqueum, ſi rupto laqueo ſalvus & incolumis in terram decidat, denuo eſt ſuſpendendus.

I. N. D. N. I. C.

CAP. I.

DE

LITERARUM COMMENDATITIARUM FUNDAMENTO, HOMONYMIA, SYNONYMIA ET DE SCRIPTIONE.

§. I.

Civile jus, quod a Romanis originem trahit, non ex turbidis rivulis, sed ex limpidissimis suis fontibus, videlicet ex intimis veræ Philosophiæ, non simulatæ, visceribus derivare amant JCtorum filii, *quibus*

de meliore luto finxit præcordia Titan.

Etenim si almam jurisprudentiam, divinarum atque humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam *l.* 10. §. 2. *ff. de j. & j.* §. 1. *Inst. eod.* ad rectæ rationis trutinam, & ad veritatis amussim, paulo accuratius, quam vulgo fieri solet, expendamus atque examinemus, eam practicæ Philosophiæ filiam natamque, non spuriam, sed legitimam & naturalem esse, quæ huic genuinæ matri suæ natales debeat, deprehendemus & certo cognoscemus, nam ubique fere hic surculus originem suam redolet, ut obesæ naris eum esse oporteat, qui hoc non odoratur. Hinc recte *magnus iste*

Philosophus æque ac Theologus, Franciscus Suarezius, Granatensis, quem communem omnium in Hispania Magistrum vocare solent, in procemio de LL. asserit: *Jurisprudentiam nihil aliud esse, quam Philosophiæ moralis quandam ad regendos & gubernandos Reipubl. mores applicationem & extensionem jung. Habn. ad Wesenbec. tit. de just. & jur. num. 2.*

§. II.

Quorum JCtorum, jura cum Philosophiæ cultu indivulso nexu conjungentium, vestigia merito legimus atque præsentis materiæ, de qua disputationem pro ingenii modulo conscribere consilium est, fundamentum, ex Philosophia practica deductum, paucis præmittimus. Circumspicientibus autem nobis & diligenter inquirentibus, in quanam potissimum Philosophiæ parte sedes literarum commendatitiarum collocanda sit, nulla aptior, nulla accommodatior occurrit ac se offert, quam virtutum homileticarum princeps humanitas & virtutum simulacrum amicitia *vid. Arist. 8. Eth.* 1. in his literas commendatitias fundatas ac radicatas esse putamus, adeo ut illis sublatis hæ quoque tollantur. Tralatitium siquidem est, sublata causa, tolli effectum. Humanitas enim inculcat, ut quis visu facilem, dictuque affabilem se aliis præbeat atque omnium ingeniis, quantum honestatis ratio permittit, se accommodet *vid. Conrad. Dürrbii Instit. Ethic. Part.* 3. *Sect.* 2. *c.* 8. §. 2. Amicitia vero præcipit, ut non modo amico bene velimus, sed etiam, quantum in nobis situm est, commoda ejus promoveamus, eumque re & consilio juvemus *beatus Dn. a Puffendorf. de Offic. H. & C. c.* 8. §. 1. Etenim si optima rerum mater natura

cogna-

cognationem quandam inter homines introduxit *per l. 3. ff. de just. & jur.* parum ſane erit, ab aliorum læſione abſtinere & a delictis erga proximum ſe retrahere, niſi quoque talia in eum conferantur beneficia, quibus mutua alitur atque fovetur benevolentia. Quæ inter literas quoque commendatitias referri, utpote quibus alios aliorum benevolentiæ inſinuamus, illisque omnia humanitatis officia, ab aliis præſtanda, procuramus, aſſerere nulli dubitamus.

§. III.

Poſtquam literarum commendatitiarum fundamentum breviter quidem, at perſpicue tamen, jecimus, ab homonymiæ ſcoriis easdem nunc liberare convenit, quo inoffenſo pede in reliquis deinceps progredi poſſimus. Verbum *commendare*, a quo vocabulum commendatitius deſcendit, in jure noſtro varias habet ſignificationes, modo idem denotat ac laudare, modo mandare, modo deponere ſignificat. Quandocunque rei vel perſonæ bonitas, qualitas, ſeu artificium commendatur, tunc perinde eſt, ac ſi laudetur. Mercatores enim, ut eo facilius emtores inveniant, merces ſuas commendare aſſolent, ceu uſu tritum *Horatii* docet:

Laudat venales, qui vult extrudere merces.

In qua ſignificatione τὸ *commendare* occurrit in *l.* 19. *pr. ff. de ædil. edict. l.* 12. §. 12. *ff. mandat. l.* 43. *pr. ff. de contrab. emt. l.* 37. *ff. de dol. mal.* Quandocunque negotium alicui expediendum commendatur, tanquam Procuratori aut mandatario, tunc illud mandati proprie dicitur *argum. l.* 1. §. 11. *ff. depoſ.* Quandocunque vero cuſtodiæ cauſa res commendatur, hoc idem valet,

let, eundemque producit effectum ac si deponatur *l. 186. ff. de V. S. l. 9. C. depos. l. 24. ff. eod. vid. Gœddæus & Brechæus ad l. 186. ff. de V. S. jung. Calv. Lexicon. jurid. sub verb. commendare.* In secunda significatione sumitur, quando commendæ, sive commendatores die Compters/ inde a DD. derivari solent. Nam, post quam seculo post C. N. undecimo, in concilio *Claromontano* expeditio in Palæstinam esset decreta, & a *Bullianæo* suscepta, seculo vero duodecimo *a Friderico Barbarossa* instinctu Pontificis feliciter quoque continuata, equites ordinis Mariani sive Hierosolymitani, subacta Palæstina, emeritos milites in Germaniam remiserunt, iisque bonorum suorum in Germania sitorum administrationem commiserunt, vel mandarunt. *vid. Besold. Thesaur. Pract. verbo* Commenthur/ *Christiani Gastelii tract. de stat. Europæ publ. cap. 30. de commendis in fin. Chronicon. Carionis a Peucero auctum lib. 4. in descriptione Frider. Imi.* In prima vero significatione verbum *commendare* in præsenti accipitur, ut ex literarum commendatitiarum descriptione, quæ subsequente §. exhibitur, apparebit.

§. IV.

Discussa homonymiæ caligine & impedimento, quod inde provenire poterat, sublato ad commendatitiarum synonymiam explanandam accedimus. Occurrit autem in lingua latina fere nulla vox, qua harum literarum emphasis exprimi possit, nisi literis illis, quibus alium laudamus, eam attribuere velimus, quæ tamen vim commendatitiarum non exhauriunt; siquidem hæ literæ præter laudem ejus, cujus causa scribuntur, continent etiam conciliationem favoris &

 amo-

amoris illius, ad quem diriguntur. Græci noſtras literas συςατικὰς appellare amant, quæ ſignificatio occurrit 2. *ad Corinth.* 3. *v.* 1. *ubi Gentium Apoſtolus, Divus Paulus, ait:* εἰ μὴ χρήζομεν, ὥς τινες, συςατικῶν ἐπιςολῶν πρὸς ὑμᾶς i. e. num egemus, ut nonnulli, epiſtolis commendatitiis apud vos, quæ ſc. nobis aditum ad vos muniant, *ut beatus Georgius Calixtus, Eccleſiæ Evangelicæ & Academiæ Juliæ Decus perpetuum, hunc textum exponit in expoſitione literali in Epiſt. Paulus ad Corinthios.* Sed Synonymia derelicta ad deſcriptionem nunc properamus.

§. V.

Deſcribuntur literæ commendatitiæ, *quod ſint epiſtola, qua perſonæ, vel rei qualitas, generaliter laudatur, ut illi benevolentia, huic vero emtor concilietur, non autem ut commendans, modo fines commendationis non exceſſerit, inde obligetur. argum. l. all.* 12. §. 12. *ff. mandat. Carpzov. deciſ.* 126. *& p.* 2. *c.* 18. *d.* 24. *Finkelth. obſervat.* 16. *Mantic. de tacit. & ambig. convent. l.* 7. *tit.* 3. *num.* 12. *Stryk. de Caut. Contr. Sect.* 2. *cap.* 11. §. 19. Generis loco ponitur a nobis epiſtola, qua perſona vel res laudatur venalis &c. ut literæ commendatitiæ diſcernantur a commendatione orali, quæ coram fit, ſine literarum interventu. Non enim inficias ire poſſumus, dari duplicem commendationem, aliam verbis ore prolatam, aliam in ſcripturam redactam, ſive literis conſignatam. De poſteriori commendationis ratione, omiſſa priori, quomodo nempe literis perſona vel res alteri commendetur, nunc acturi ſumus. Notanter adduntur in deſcriptione noſtra verba; *qua generaliter laudatur* &c.

nam si specialiter persona commendetur ad certum contractum, vel actum v. g. ut commendato pecunia seu alia res fungibilis credatur, vel ut is in tecta nostra recipiatur, convictu nostro utatur, tunc commendatio illa degenerat in mandatum, & per consequens, talis commendans, vel potius mandans, obligatur. *argum. l. 24. ff. de fideiussor. l. fin. C. quod cum Rutg. Ruland. de commissariis p. 2. lib. 5. cap. 14. Mev. ad ius Lubecense lib. 3. tit. 10. c. 1. n. 11.*

§. VI.

Ut eo clarius differentia, quæ inter mandatum & commendationem intercedit *per l. 11. §. 2. ff. de legat. 3. l. 19. pr. ff. de ædil. edict.* appareat & reluceat, hic notare non pigrabimur, quod commendatio & mandatum in sequentibus differant. Mandatum (1) potest vergere in utilitatem mandantis, seu mandatarii & tertii &c. *per tot. tit. ff. mandat.* commendatio autem regulariter in commendantis, neque in eius, ad quem dirigitur, sed in utilitatem solius commendati tendit. (2) mandatum est obligatorium *l. 16. l. 27. §. pen. ff. mand.* commendatio regulariter non inducit obligationem *Carpzov. P. 2. c. 18. def. ult.* modo sit generaliter facta *Brunnemann. ad l. all. 19. ff. de ædil. edict.* (3) mandatum fit plerumque maioribus, interdum quoque minoribus, quibus tamen tuto mandari nequit ob beneficium restitution. in integr. non vero impuberibus, quia valide non obligantur *§. 9. Inst. de inutil. stipul.* ast commendatio fieri potest æque maioribus ac minoribus & impuberibus (4) mandatum licet respuat mercedem, admittit tamen honorarium. *vid.*

Dn.

Dn. Præsidis Prælectiones Academ. ad Inst. Justin. tit. mandat. §. 13. commendatio vero gratuita esse solet.

§. VII.

Finis literarum commendatitiarum ratione personæ commendatæ consistit in eo, ut alterius benevolentiam, omniaque, quæ inde fluunt, qualia sunt generalia humanitatis officia, quæ vi amicitiæ amicus amico præstare solet, sibi acquirat: ratione vero rei venalis literæ commendatitiæ eo collimant, ut sine dolo eum, ad quem scribuntur, ad comparationem & emtionem pertrahant & alliciant. Uterque finis, quum nullam involvat turpitudinem, sed alter bonus, alter indifferens sit; hinc sequitur, quod ipsæ literæ commendatitiæ vitio non sint infectæ & turpitudine non laborent. Ex fine enim quælibet actio in practicis bonitatem suam vel malitiam moralem præcipue nanciscitur, ut moralistarum filii docent *vid. Joh. Conrad. Dürrbii Inst. Ethic. p.* 3. *Sect.* 1. *c.* 7. §. 13. *&* 14. Non autem ob hunc finem literæ commendatitiæ alicui dantur, ut scribens inde obligetur, quia hæc non est intentio scribentis, sed eum modo in finem ejusmodi literis instruitur commendatus, ut ipsi eo major fides concilietur *Harprecht ad* §. 7. *Inst. de fidejuss. Carpzov. p.* 2. *c.* 20. *defin.* 10. jam vero ultra intentionem agentis actus nihil operatur & per consequens scribens non obligatur *Carpzov. all. l.* Verum hoc regulariter modo ita se habet, dantur enim casus, quibus commendans obligetur, quos infra *cap.* 4. explanaturi sumus.

§. VIII.

Ex hoc fine etiam elucescit discrimen literarum

nostrarum & consilii, quod alias cum iisdem cognationem habere videtur. Nam consilium est, quo-quis alteri ostendit, quid in re dubia ipsi sit faciendum sine intentione eum ad hoc consummandum obligandi *vid. Lauterb. ad t. ff. mandat.* Commendatio vero rem vel personam laudat ad amorem vel emtorem, pro diversitate objecti, conciliandum. Convenit tamen in eo cum commendatione, quod, uti consilium sincere & citra fraudem datum consultorem non obligat *per l.* 47. *ff. de R. I.* ita nec commendatio commendantem. Ratio, quare consilium obligationem non producat, vulgo reddi solet talis: quia cuique liberum est apud se explorare, an expediat sibi sequi datum consilium, nec ne *vid. Eberb. Bronchorst. ad all. leg.* 47. sed si cum beato *Domino Eichel, Nobili de Rautencrohn, JCto quondam consummato & Juliæ nostræ Lumine*, philosophice magis loqui velimus, dicere possumus, præcipuam ac genuinam rationem hanc esse, quod tam commendatio quam consilium non obliget, quia utrumque sine animo & proæresi nocendi datur. Ubicunque vero nulla est proæresis nocendi, licet eventus voto non respondeat, ibi non est dolus, & per consequens actio adversus eum, a quo læsio illa originem trahere videtur, non potest institui; Atqui tam in commendatione, quam in consilio, nulla est proæresis nocendi. Ergo. vid. *illustris author ante allegatus in Commentario ad tit. de R. I. c.* 10. *leg.* 47.

CAP.

CAP. II.

DE PERSONIS AD COMMENDATITIAS NECESSARIIS.

§. I.

Commendatitiarum descriptione superiori capite sic satis pro instituti nostri ratione explanata, ordo postulat, ut personas, quæ ad telam literarum nostrarum pertexendam, necessariæ sunt, ad rationis trutinam expendamus. Tres in universum personas ad hocce negotium literarium perficiendum concurrere debere in aprico est, quæ vocantur, commendans, commendatus & cui fit commendatio. De prima persona talem constituimus regulam: *Quicunque intellectu pollent, & notitiam rei vel personæ non proletariam & perfunctoriam habent, quam volunt commendare, illi possunt bene hoc efficere.* Duo enim sunt, quæ in commendante requiruntur, (1) notitia non proletaria personæ vel rei, quam quis vult commendare. Hinc consequitur, quod non possint hoc officio laudabiliter fungi, &, sine obligationis nexu, commendare, qui personam de facie modo norunt, nam aliis nocent, & se deridendos propinant illis, ad quos commendatitias suas dirigunt. Bene igitur attendendum Poëtæ monitum, quod commendantibus præscribit, quando ita canit, *Horat. lib.* 1. *Epist.* 18.

Quem tu commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Neque etiam recte commendare possunt, qui rei qualitatem non satis exploratam & cognitam habent, nisi

ſint mercatores & negotiatores, vel venditores, quibus certa & limitata tamen ratione hoc permiſſum eſſe videtur *argument. l.* 16. §. 4. *ff. de minor. & l.* 22. §. 3. *ff. loc. cond. & l.* 1. *ff. de ædil. edict.* eum in finem, ut merces ſuas eo facilius vendant emtoresque inveniant.

§. II.

In commendante requiritur (2) intellectus, ut intelligat, quid commendando faciat. Intellectus autem quum multis modis poſſit impediri, ut veritatem cernere nequeat, hinc omnia, quæcunque intellectui obſunt, a commendante remota ſint, neceſſe eſt: Atqui error, dolus alterius, vis ac metus, animi perturbationes & nimia ebrietas intellectui obſunt, vid. *Struv. Exercit.* 17. §. 16. Ergo a commendante remota ſint, neceſſe eſt. Si igitur dolus alterius interveniat, quo inductus commendans commendationem peragat, quin iſte, qui dolum adhibet, obligetur, & actione de dolo pulſari poſſit, nullum eſt dubium. Nam dolus in omni negotio præſtandus eſt *l.* 23. *ff. de R. I.* adeo, ut pactum contrarium non valeat *per l.* 17. *ff. commod. l.* 27. *ff. de pact.* Sed quum dolus non præſumatur, & quævis etiam injuſta cauſa a dolo excuſet *Carpzov. p.* 3. *c.* 22. *def.* 9. actori probatio incumbit. Probatio vero doli eſt difficillima, nam in animo latet. Hinc nonnulli DD. inveniuntur, qui ſtatuunt, præſumtam ſufficere doli probationem, quam tamen opinionem in medio nunc relinquentes ad caſum, quo tertii dolus intervenit, properamus, qui ita formari poteſt: Si quis inhabilem, de quo nulla ſuperſit ſpes, quod poſſit fieri habilis, ſciens volens ad officium Præceptoris commendanti ſiſtat, eique perſuadeat, ut

eum

eum commendet viro Nobili ad liberos ejus bonis literis, quibus ipse vel leviter, vel plane non, tinctus est, imbuendos, idque eum in finem, ut patri ac familiæ, cui clam infensus est, hac ratione noceat, tunc si postea fraus fiat aperta, quare commendantem deceperit & hac techna sit usus, ut inhabilem commendaret, quin ille ea propter arbitrarie puniri possit, nulli dubitamus *argum. l. 47. ff. de R. I. & reg. 62. in 6to eod.* quia nemini malitia sua debet esse lucrosa, & aliis simplicitas damnosa *per l. 1. ff. de dol. mal.* Si vero nequidem semiplene dolus iste possit probari, magnæ autem contra eum militent præsumtiones, quod dolose egerit, tunc juramentum purgatorium locum habere videtur, ut præsumtionem doli contra se militantem elidat, *vid. Habn. ad Wesenbec. tit. de jurejur. n.* 10. modo persona, cui imponendum, sit fide digna & de perjurio non suspecta *Carpz. q.* 116. *n.* 62. Quod juramentum, quum sit legale, Judex ex officio reo imponere valet. *can.* 8. 20. 25. *X. de purgat. can.*

§. III.

Non vero præcise opus esse putamus, ut commendans commendato sit superior, eumque virtute & dignitate longe antecellat. Inferior enim superiorem, illiteratus literatum commendatitiis instruere valet, quo ipso ejus dignitati nihil detrahitur nihilq; decedit, sed ea salva & integra manet, ipsique officia humanitatis conciliantur. Hoc tamen non possumus inficias ire, magnum accedere pondus maximumque robur ad commendatitias, si a virtuoso, in amplissimo dignitatis gradu constituto, vel ejus doctrinæ, scientiæ ac artis, ad quam commendatus aspirare satagit,

tagit,

tagit, gloria claro ac nobili ſcribantur. Optima ſiquidem laus eſt, quæ a viris fide dignis alicui tribuitur, qui in iisdem laudandi & ipſi ſunt, in quibus aliquem laudant, ait *Divus Plato in Lachete p.* 441. Qui cum *parens eloquentiæ* convenit, quando inquit, iucunda profecto laus eſt, quæ ab hiſce proficiſcitur, qui ipſi in laude vivunt.

§. IV.

Contra, quicunque plane deſtituitur intellectu, ille non poteſt literas commendatitias rite ſcribere. Atqui talis eſt (1) infans *per* §. 9. *Inſt. de in util. ſtipul. l.* 5. *ff. de R. I.* qui annum ſeptimum nondum exceſſit. *l.* 18. *C. de iur. deliber. l.* 2. *ff. de adminiſtrat. tutel. l.* 14. *ff. de ſponſal.* (2) mente captus, qui omni animi conſilio caret & in quiete degit (3) furioſus, qui cum rabie quadam & tumultu inſanit *per l.* 40. *ff. de R. I.* §. 8. *Inſt. de inutil. ſtipul. l.* 16. *in fin. ff. de nupt. l.* 8. *ff. de ſponſal.* niſi dilucida furoris habeat intervalla, tunc eo tempore, quo furor remiſit, commendatitias ſcribere valet *argum. l.* 9. *C. qui teſtam. facere poſſunt.* Hac enim lege cautum eſt, ut teſtamentum, quod dilucidi intervalli tempore furioſus facere cœpit & perfecit, valeat *Brunnemann. ad h. l.* Jam ultimam ſuam voluntatem ordinare & de omnibus ſuis bonis diſponere, eſt ſane negotium majoris momenti, quam commendatitias exarare. Cuicunque vero licet, quod plus eſt, ei licet utique etiam quod minus eſt *per reg.* 53. & 35. *de Reg. Jur. in* 6to & *l.* 21. & 110. *ff. de R. I.* Atqui furioſo tempore dilucidi intervalli licet ultimam condere voluntatem, quod plus eſt, ergo etiam ei licebit eodem tempore commendatitias ſcri-

bere,

bere, quod minùs eſt. De hoc argumentandi genere *vid. poteſt Nicol. Everhard. a Middelburg in loc. argum. legal. loc.* 15. *a minori.*

§. V.

Satis de commendante, nunc ad commendatum progredimur, de quo hanc regulam formare nobis allubeſcit: Quicunque eſt homo frugi, bonis præditus moribus, &, ut cum Poëta loquamur,

Integer vitæ ſcelerisque purus

& callet artem illam ſive liberalem ſive illiberalem, ob quam a tertio expetitur, ille poteſt bene ac laudabiliter commendari. Requirimus in commendato (1) ut ſit homo frugi, de quo tale circumfertur proverbium: *quod omnia recte faciat.* Nam ſi quis hominem malum commendat id eſt laudat, ejus malitiam laudando augere videtur *argum. l.* 1. §. 4. *ff. de ſerv. corrupt.* Regulariter quidem quilibet bonus, non malus, præſumitur per *capit. final. X. de præſumt. Gloſſa in. fin. ff. quod metus cauſa*, quod adeo verum eſt, ut verba in alienum ſenſum potius detorqueantur, quam ut ex iis eliciatur aliquem eſſe malum *Maſcard. de probat. volum.* 2. *concluſ.* 1005. *n.* 1, 2, 3. Et hæc præſumtio bonitatis eo magis pro aliquo militat, quo honeſtiores & nobiliores fuere parentes, a quibus vitam habet *argum. l* 31. §. 21. *ff. de ædil. edict. l.* 2. *C. de debit. Civ.* Nam

Naturæ ſequitur ſemina quisque ſuæ.

Inde fluit, quod quilibet in jure tam diu pro bono & probo homine reputetur, donec contrarium probetur.

§. VI.

Deſideramus in commendato (2) ut ſit bonis moribus præditus, nam mali mores deturpant artem & -

ſcientiam hominis. Hinc ortum uſu tritum illud; *qui deficit in moribus & proficit in literis, plus deficit, quam proficit.* Equidem pro morum probitate ac honeſtate regulariter militat præſumtio, niſi de aliquo ad beneficium promovendo, vel de ætatis venia concedenda agatur *Mnſcrad. vol* 2. *concluſ.* 1072. *de probat. n.* 3. & ut nos addimus, niſi de aliquo ad officium publ. evehendo tractetur, tunc enim publice intereſt, ut in ejus mores inquiratur. Conſultum ſiquidem omnino eſt, publicam rem ab initio ſalvam eſſe, quam poſt vulnus acceptum remedium quærere *argum. l.* 5. *ff. de ſuſpect. tut.* In veſtigandi igitur ſunt mores ejus, quem quis vult commedare, antequam hoc exequatur. Exquiruntur autem (1) vel ex teſtibus, qvi commendato familiariter uſi ſunt, quales vicini, conſanguinei, contubernales, convictores & alii eſſe poſſunt (2) ex converſatione, quam aliquis cum aliis habet, non modica morum conjectura deſumi poteſt. Qvalis enim quisque eſt, talium conſortio delectatur; hinc in proverbium abiit.

Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe.

(3) ex anteacta vita *per l.* 5. §. 6. *ff. de re militari*, ſemel enim malus, ſemper præſumitur malus *per reg.* 8 *de reg. jur. in 6to*, ſcilicet in eodem malitiæ genere *vid. Petr. Peckius, Dynus Roſſanius & Ioh. Brunnemann. ad h. reg.* item *Gail. l.* 2. *O.* 109. *n.* 5. & in paſſionibus intrinſecis, non vero in illis, quæ extrinſecus accidunt. Nam ſemel percuſſus non præſumitur iterum percuſſus, & ſemel febricitans, iterum febricitare non præſumitur *Brunnemann. all. l.* Perdit tamen hæc regula officiuum ſuum, ſi iſte, qui antea delictum perpetravit & vtioſam

ſam

ſam vitam egit, per triennium & amplius honeſte vixerit *Maſcard. vol. 2. concluſ.* 1072. *n.* 9. *de probat.*

§. VII.

In commendato (3) requiritur, ut ſit vitæ inculpatæ, nam qui vitiis & flagitiis nobilitatus eſt, ille non poteſt ſine ſcelere commendari. Qui ejus furfuris hominem deliberato commendat doloſe agit, eoque nomine tenetur *per l.* 5. *§. fin. ff. de dol. mal.* e. g. ſi quis ſervum tanquam fidelem commendat, quum tamen ſciat eum eſſe furacem, ille ex hac commendatione doloſa obligatur, inprimis ſi talis poſtea ſervus Domino res quasdam auferendo damnum intulerit; (4) ut inſtructus ſit illa arte ac ſcientia, cujus cauſa commendatur. Quod ſi enim ſe, ceu artis alicujus peritum, commendare patiatur, quum ignorantiæ ac ruditatis ſuæ optime ſibi conſcius ſit, & poſtea ex ignorantia tali damnum proveniat, eo nomine commendatus, ſi commendatio effectum habeat, tenetur. Imperitia enim in eo, qui rei peritiam profitetur, culpæ annumeratur §. 7. *Inſt. de Leg. Aquil. l.* 29. §. 27. *ff. de leg. Aquil. l.* 132. *ff. de Reg. jur.* Hinc Notarius, Procurator, Advocatus, Sutor & quilibet artifex, qui artem profitetur, ratione damni ex imperitia artis ſuæ obligatur ad reſarciendum ex leg. Aquil. *per* §. 8. *Inſt. eod.* nemo enim affectare debet, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, imperitiam ſuam aliis periculoſam futuram *l.* 8. §. 1. *ff. ad leg. adquil.* Quam legem hodienum in viridi obſervantia eſſe, contra *Simonem a Grænwegen JCtum Batavum, qui in tractatu ſuo de LL. abrogatis & inuſitatis in Hollandia viciniſque regionibus,* leges quasdam abrogatas eſſe audacter aſſerere aſſolet

 Stryck.

Stryck. §. 43. *de usu & autoritate juris Romani*, ſtatuere nulli dubitamus cum beato *Brunnemann. ad h. l.*

§. VIII.

Scribendæ ſunt commendatitiæ ad illos, qui commendatum officiis humanitatis ſublevare, eumque opera & conſilio juvare volunt & poſſunt. Utrumque requirimus & velle & poſſe, *quia*

alterius ſic
Altera poſcit opem res & conjurat amice.

Quamvis enim aliquis velit officia humanitatis commendato lubenti animo præſtare, extrema autem paupertate impediatur, quo minus hoc facere queat, videlicet ſi diurno ac continuo labore ſibi ſuisque victum & amictum parare teneatur, ne fame pereat & oſtiatim panem quæritare cogatur, tunc oleum & operam perdit, & qui ad ejusmodi hominem egeſtate laborantem commendatitias ſcribit, littus arare videtur: finem enim, quem intendit, neutiquam poterit conſequi. Et licet paupertas non ſit de genere malorum *per Can.* 6. *Cauſ.* 15. *qu.* 1. ſed potius bonæ mentis ſoror: Attamen efficit, quo minus iſte, qui cum ea conflictatur, poſſit tanta officia præſtare alteri, quanta in re lauta vel mediocri conſtitutus. Quis vero pro paupere in hac materia habendus ſit, non ex *l.* 10. *ff. de accuſat.* de finiri, ſed cordati ac diſcreti hominis judicio relinqui debet. Vice verſa, quamvis aliquis poſſit, non tamen velit in fidem & amicitiam ſuam commendatum recipere eique omnia humanitatis officia exhibere, ſimultate ſeu inimicitia, quam vel erga commendantem, vel ejus patrem ſeu familiam, vel erga commendatum, ſeu ejus conſanguineos gerit, inductus, tunc diligentiæ ac laboris ſui fructum plane perdit. Ad ratio-

rationis igitur trutinam bene ante expendat, & secum etiam atq; etiam consideret commendans, an spes certa supersit fore, ut iste, ad quem commendatitiæ diriguntur, voto suo respondeat, vel sibi gratificetur, quam calamo arrepto scribat, qua ratione vitare poterit, ne actum agat, & laterem lavet.

CAP. III.
DE
REBUS, CIRCA QUAS LITERÆ COMMENDATITIÆ OCCUPATÆ SUNT.

§. I.

Res & negotia, circa quæ literæ commendatitiæ versantur, sunt adeo varia, ut omnia illa singulatim recensere ἐκ τῶν ἀδυνάτων fere esse videatur: Possemus iliorum afferre tam multa,

Quam multa in sylvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia.

Sed cum brevitati studere par sit, nos de illis talem constituimus regulam generalem; Quæcunq; res, sive physice sive moraliter tales, bonitate quadam ac præstantia præditæ sunt, illæ verborum splendore illuminari & literis commendatitiis laudari & alterius benevolentiæ insinuari possunt. Atque tales sunt res tam animatæ quam inanimatæ *vid. Arist. 1. Rhetor. 9. v. 4.* tam ad literas humaniores, quam ad mercaturam, ad militiam, ad œconomiam & ad artes Mechanicas spectantes. Ergo. Sic commendatitiæ ad adolescentem, in bivio constitutum, an se mancipet stu-

diis liberalibus, an arti mechanicæ, possunt exarari, quibus dignitas studiorum extollatur, & artis illiberalis extenuetur. Imo in omni studiorum genere, literis nostris locum esse relictum, ita ut in Theologia, Jurisprudentia, Medicina & Philosophia usum præstent non obscurum, quotidiana experientia, optima rerum talium Magistra, testatur.

§. II.

Sed si quis adolescenti literis suasit & persuasit, ut derelicta arte mechanica vel mercatura, cui se addixerat, vel destinatus erat, animum ad studia applicet, postea autem contingat, ut absoluto studiorum suorum curriculo, ad optatam metam pervenire & officium publicum consequi nequeat, sed ipsi cum paupertate & cum fame confligandum sit, tunc quæstio suboritur: an non talis commendans ex sua commendatione obligatus sit, ut succurrat huic inopi Musarum cultori, eique de victu prospiciat; Interdum quidem mutatio talis, ut puta si quis mercaturæ fuerit destinatus, eaque derelicta ad altiorem artem se applicet, feliciter contingit, ceu hujus rei vivum & recens nobis præbet exemplum *Johannes Baptista Colbertus, Regis Galliæ Status Minister, qui a Patre suo mercaturæ dedito eidem erat destinatus, sed ea neglecta Tellerio commendatus, & ab eo Mazarino, ad summum honoris fastigium ascendit, vid. La Vie de jean Baptiste Colbert ministre d' etat souis Louis XIV. R. de F.* Verum enim vero non omnibus contingit adire Corinthum, neque omnibus talis mutatio ex voto succedit, adeoque si fortuna optatis non respondeat & talis suasio & mutatio infelicem sortiatur exitum, quæritur an inde

inde teneatur suadens seu commendans, ita, ut actione quadam conveniri queat.

§. III.

Quam quæstionem negative decidimus per ea, quæ supra in fine cap. 1. §. 7 a nobis deducta sunt. Quia nullum consilium est necessitatis *Marpurgens. cons. 26. n. 150. vol 1.* sed voluntatis, adeo ut in liberrimo sit cujuq; arbitrio positum, an id sequi velit, nec ne *l 2. §. 6. ff. mandat. §. 6. Inst. eod.* Neque huic decisioni obesse potest, quod hoc consilium illi, cui datum erat, male cessit, adeoque fraudulentum fuisse videatur. Fraudulentum vero consilium esse obligatorium constat ex *reg. 62. de R. I. in 6to & l. 47. ff. eod.* Nam (1) non ex eventu, sed ex voluntate dijudicandum est, an consilium fueri fraudulentum *per l. 79. ff. de R. I. l. 15. ff. quæ in fraud. cred. fact.* siquidem consilium dans eventum non promittit bonum (2) in dubio consilium præsumitur potius bonum & salutare, quam fraudulentum *Menoch. l. 5. præsumt. 2. n. 11.* quia præsumtio semper in partem meliorem tendit *per reg. 3. X. de reg. jur.* adeoque delictum & dolum excludit. Hinc sequitur, quod illis, qui asserunt, hoc consilium fuisse fraudulentum, incumbat probatio *argum. l. 2. ff. de probat. & præsumt. §. 4. Inst. de legat. jung. Brunnemann. ad reg. 62. de reg. jur. in 6to.*

§. IV.

Rem literariam excipiat bellica, in qua literas nostras usum præbere nemo, cui syncipput sanum, ambiget. Sic potest quis nova inventa bellica Principi vel Duci militari commendare ob egregiam utilitatem, quam in bello præstant, qua commendatione Principis vel Ducis militaris gratiam sibi quis facile conciliabit

ciliabit e. g. Inventum *Principis Ruperti* quis Heroi magnanimo & bellicoso commendare potest, cujus beneficio ingens tormentum bellicum prius ter exonerari valet, quam gregarius miles semel sclopetum suum vulgare exploserit: vel inventum *Eliæ Tripi*, qui ex corio tormenta majora ad faciliorem Vecturam in bello tricennali superioris seculi confecit, eaque contra hostes feliciter adhibuit vid. *Georgii Paschii Schediasma de curios. huj. sec. invent. cap. 6.* Item artem pyrobolicam, quæ hodie ad summum suum fastigium evecta esse videtur, quis Principi bellicoso potest commendare, nec non *Tacticam*, seu artem instruendæ aciei, quæ a Gallis optime hodie exculta est. Et quis omnes res bellicas, circa quas literæ commendatitiæ possunt versari, recensendo exprimere posset, nos exempli loco unam & alteram modo in medium protulimus, ex quibus facili negotio de reliquis judicium fieri, nec non de assertionis nostræ veritate constare poterit, quare ad res venales & merces, sine ulteriori mora, nunc progredimur.

§. V.

Mercator, si merces suas generaliter par literas commendet, inde non obligatur; at vero si emtorem de vitio morbove, quo merx affecta est, consulto celaverit, adstringitur, modo (1) vitium in rebus animatis sit in corpore (2) non leve *l.* 4. *§. fin. ff. de æd. l. edict.* sed tale, ut usum rei emtæ impediat *l.* 1. §. 8. *l.* 10. §. 2. *ff. eod.* (3) latens & internum, quod in sensus externos non facile incurrit *l.* 1. §. 6. *ff. eod. l.* 14. *§. fin. l.* 55. *eod.* qualia vitia in rebus animatis occasione *tituli ff. de ædil. edict.* fuse exposuit *Paulus Zacchias in*

quæ-

quaestionibus medico-legalibus l. 2. tit. 3. qu. 4. 5. 6. 7. & seqq. si enim vitium ita sit comparatum, ut sensu externo facile percipi possit, excludit redhibitoriam *Mev. P. 4. d. 249.* (4) ut tempore venditionis jam tum vitio vel morbo illo laboraverit. Ultimum hoc requisitum ab emtore est probandum *vid. Mascard. conclus.* 615. quia morbi & vitii, quod ante emtionem fuit, ratio non habetur, neque superveniens vitium venditori nocet, sed emtori per *l. 3. C. de aedil. edict.* nisi statim post venditionem emtor morbum senserit, tunc tempore venditionis quoque adfuisse praesumitur, quae praesumtio ex brevitate temporis oritur *Perez. ad tit. C. de aedil. edict. n. 4.* Breve autem illud temporis spatium judicis quidem arbitrio est relictum, sed DD. illud ad triduum vulgo restringere amant, intra quod si animal a tempore venditionis computatum moriatur, ex vitio antea contracto mortuum esse praesumitur *Carpzov. P. 2. c. 34. d. 18. Stryck. de Caut. Contr. Sect. 2. c. 8. §. 36.* modo cor ejus repertum sit putridum atque subrancidum *Mascard. de probat. conclus. 632.*

§. VI.

Si igitur mercator rem, quae tali vitio, quale praecedente paragrapho est delineatum, laboravit, per literas sciens volens commendavit iisque alterum induxit, ut eam sib compararet, quae in promtu sunt actiones, quae hoc casu emtori competunt adversus venditorem seu mercatorem, quarum altera vocatur redhibitoria, altera quanti minoris seu aestimatoria de quibus *t. t. ff. & C. de aedil. edict.* agitur. Prior datur adversus venditorem ejusque heredem ad id, ut rem vitio affectam recipiat, restituto pretio, & si sciverit

ante

ante vitium, intereſſe præſtet *l.* 1. *C. de ædil. edict.* Poſterior datur ad id, ut tantum pretii reſtituatur, quanto minoris res fuit ob vitium, cum veniret *l.* 61. *ff. eod. vid. Struv. Syntagm. Exercitat.* 27. §. 8. 9. Concurrunt autem hæ actiones elective, ita, ut una electa, altera tollatur *per l. fin. ff. h. Perez. ad C. h. t. n.* 6. Et locum habent non modo ſi ad emtionem illarum per literas commendatitias aliquis ſit pertractus, ſed etiam ad permutationem, diviſionem vel inſolutum receptionem ſit per easdem adductus *Struv. alleg. l.* Cautus igitur ſit mercator vel venditor in commendandis mercibus ſuis, quas venales exponit, ne exinde damnum incurrat atque obligetur.

§. VII.

Si mango alteri per literas commendet equorum quadrigas easque nimium deprædicet, quum tamen vitio quodam interno, inviſibili & uſum eorum impediente, ſint affectæ, tunc actio redhibitoria de jure communi locum habet, ſive unus, ſive omnes ſint vitioſi *vid. Johannes Voet. ad tit. ff. de ædil. edict. n.* 4. ſive ſit retrogradus, vel ſcabioſus, vel pituitoſus vel cæcitate latente laboret. Ob hæc enim quatuor vitia emtio venditio equorum jure Saxon. præcipue reſcinditur, quæ propterea *Pagenſtecher. manip.* 1. *ſicil.* 51. his verſiculis expreſſit.

Si ſit retrogradus, clam cæcus vel ſcabioſus,
Vel pituitoſus, tunc redhibendus equus:

Sive ſit calcitroſus *per l.* 43. *pr. ff. de ædil. edict.* ſi ſit lunaticus vel phreneticus Koltend *per l.* 1. §. 9. *ff. eod.* ſi ſit ita pavidus, ut ſemetipſum turbet *l.* 43. *all. pr.* ſi habeat ſuperoſſa vel gallas *Spekhan. quæſt. jur. cent.* 1. *qu.* 118.

qu. 118. vel transjungi nequeat *l.* 38. §. 8. *ff. eod. Habn. ad Wesenbec. tit. de ædil. edict. Zæs. in additam. ibid.* Item si quis porcos grandinosos alteri literis commendet eique persuadeat, ut eos emat, tunc ita distinguendum est; aut artifices ex linguarum inspectione judicarunt, porcos non esse grandinosos, & contra commendantem redhibitoria non potest institui, sed contra artificem agendum *Carpzov. P.* 2. *c.* 34. *def.* 16. aut vero inspectio linguarum porcinarum non est adhibita, quum tamen facile hoc potuisset fieri, & redhibitoria non locum habet, sed emtor sibi hoc debet imputare *Zæs. ad tit. ff. de ædil. edict. in additam.*

§. VIII.

Ultimo loco de sartore agendum, qui rogatus est ab aliquo pannum ad vestem sibi comparare volente, ut ei mercatorem commendaret, qui ex nundinis optimas & recentes attulisset merces. Qui si cum mercatore, pervetustos pannos & temporis diuturnitate fere consumtos in taberna sua habente, colluserit, & pannum bonum comparare cupienti hunc emtorem commendaverit, præmiumque pro commendatione acceperit eaque ipsa emtorem ad hunc pannum pervetustum emendum induxerit, actione doli tenetur *vid. Brunnemann. ad l.* 12. §. 12. *ff. mandat.* modo probari possit, quod pro falsa hac commendatione a mercatore quid acceperit *Camillus Borellus controvers.* 47. *n.* 74. Dolus enim nunquam ulli prodesse debet *vid. Christinaeus vol.* 2. *decis.* 119. *n.* 5. & dolosa persuasio, qualis hoc casu a sartore adhibita est, plus est quam coactio violenta *l.* 3. §. 5. *ff. de hom. liber. exhib. l.* 1. §. 3. *ff. de serv. corrupt.* per eam siquidem animus non læ-

D 2 ditur,

ditur, sed integer & incorruptus manet *vid. Brunnemann. ad l. 1. all.* Hinc concludunt DD. quod persuasio falsa non modo inducat præsumtionem doli, sed etiam eandem satis indicet *Cravet. consil.* 395. *n.* 4. *vol.* 3. *& consil.* 763. *n.* 15. *v.* 5. Imo licet talis persuasio nullum habeat effectum, punienda tamen est *argum.* § 8. *Inst. de obligat. quæ ex delict. descend. & l.* 20. *C. de furt.* quia propriam delicti speciem constituit *Brunnemann. ad l.* 1. *alleg.* Idem ad proxenetam & mulierculas, quæ res vetustas vendere solent, applicari potest.

CAP. IV.

DE COMMENDATITIARUM MODO ET EFFECTU.

§. I.

Forma sive modus commendatitiarum consistit in eo, ut persona, vel res generaliter laudetur, eum in finem, ut personæ humanitatis officia concilientur, rei emtor comparetur *vid. supra cap.* 1. §. 5. Huic modo si quid addatur vel detrahatur, non possunt non commendatitiæ in aliud negotium civile, videlicet vel in mandatum, vel in consilium degenerare. Forma enim dat rei suum esse, ut philosophorum filii loquuntur, ideoque formæ nihil potest addi vel detrahi, scil. ita, ut negotium maneat salvum *Baldus ad l.* 3. *fin. n.* 4. *C. de suis & legit. hered.* Imo forma non observata, totus actus censetur nullus *argum. l.* 55. *ff. de condit. & demonstrat.* quod procedit, licet in minima parte modus rei negligatur *Gail.* 1. *O.* 2. *n.* 6. *Mev. P.* 6. *d.* 281. *n.* 2. *Stryck. de Caut. Contr. Sect.* 1. *cap.* 4. §. 1. Paria siquidem

quidem in jure nostro sunt, utrum aliquid plane non fiat, aut non debito modo fiat. Et forma ac rei modus est indivisibilis *Cardin. Tusch. Pract. conclus.* 45. a cujus observatione ne justissima quidem causa aliquem potest excusare *Dec. consil.* 446. *n.* 14. quia forma a jure publico est præscripta *argum. l.* 2. *ff. de testam.* Hinc recte concludit *Besoldus Consil.* 13. *n.* 35. quod nulla ratione in contractibus & aliis negotiis cavere possimus, ne leges super iis disponentes, certamque formam substantialem illis præscribentes, valeant, quia juri publico valide non renunciatur *per l.* 55. *ff. de leg.* 1.

§. II.

Commendatitiarum *in l.* 12. §. 12. *ff. mandat.* formulam Ulpianus exhibet talem, quam hic transscribere non pigrabimur. *Rogo te amice, commendatum habeas Sextilium Crescentium amicum.* Quæ formula ad modum brevis & generalis est, eumque in finem tendit, non ut commendato credatur pecunia, vel alius cum eo celebretur contractus, sed ut benevolentiæ officia ei concilientur vid. *Brunnemann. ad all.* §. 12. *l.* 12. cum qua formula germanica illa usitata convenire videtur, quæ ita sonat; Den *Titium* meinen guten Freund recommendire bester massen / und bitte ihn alle verlangte Freundschafft zu erweisen / und ihn mit Raht und That zu assistiren. Hæc enim in se non continet mandatum, ut Titio pecunia credatur, adeoque exinde obligatio nulla nascitur. Generaliter quidem omnia humanitatis officia Titio exhibenda mandasse censetur, at generale ejusmodi mandatum non sufficit, ubi speciali opus est, ut in nostro casu *vid. Stryck. de Caut. Contr. Sect.* 2. *cap.* 11. §. 19. Si igitur iste, ad

quem

quem commendatitiæ tales scriptæ sunt, commendato pecuniam mutuo dederit, commendantem actione mandati convenire nequit, nisi commendationi huic talia verba sint adjecta; Und auf bedürffenden Fall ihn mit Gelde auszuhelffen. Ex quibus haud obscure actio mandati colligitur *argum. l. 24. ff. de fidejuss.* vel si quis rem commendare velit, hac formula generali uti potest: Die verlangte Probe von den Tuche wird mein Hochgeehrter Herr hiebey empfangen / und recommendire ihm absonderlich das und das &c. ex qua nulla nascitur obligatio & actio.

§. III.

Hac forma in commendatitiis præcise servata & concurrentibus requisitis *c. 2. & 3. supra expositis*, quæ tam ratione personæ, quam rei, sunt necessaria, nulla inde regulariter nascitur obligatio valida ac efficax; quia magis hominis commendandi, nos addimus etiam rei commendandæ, quam mandandi causa sunt conscriptæ *l. 12. §. 12. ff. mandat, l. fin. C. quod cum eo &c.* Omnis siquidem obligatio præsupponit voluntatem vel directam, vel indirectam ejus, qui obligatur. Voluntas autem & intentio commendantis non est, ut fidem suam pro commendato interponat & sese obliget, sed ut solum ei major fides habeatur *Harprecht. ad §. 7. n. 5. Inst. de fidejussor.* vel ut ei benevolentia concilietur. Jam actus agentium ultra intentionem illorum nihil possunt operari *argum. l. 19. ff. de reb. cred. & Brunnemann. ibid. jung. Bertachini repert. jur. sub voce actus*, & per consequens commendans non potest adstringi & conveniri. Nam verissimum est, quod absque animo obligandi nulla constituatur obligatio

argu-

argument. l. 3. *ff. de obligat. & act. Mev. P.* 8. *decis.* 120. *sc. mediata*, quæ immediate ex lege proficiſcitur animum obligandi non præſupponit *l.* 4. *§. fin. ff. de fidejuſſ. & nominat. & hered. tut.* in qua dicitur, quod nominatores & affirmatores, qui ſcilicet tutores idoneos eſſe affirmarunt, ſint obligati: Affirmator quidem animum ſe obligandi non habuit, ſed in favorem pupilli lex animum ſeſe obligandi eum habuiſſe fingit, adeoque hic tacita adeſt voluntat vel ficta, ex qua deſcendit valida obligatio & efficax actio *vid. Brunnemann. ad h. l.*

§. IV.

Ab hac regula, quod commendatitiæ non obligent, nonnullæ exceptiones dantur, quas nunc ordine perluſtrare & examinare conſilium eſt (1) eſt, ſi commendans doloſe commendatitias ſcribat emolumenti & commodi ſui cauſa, tunc obligatur *per l.* 5. *§. fin. ff. de dol. mal.* v. g. ſi quis debitorem ſuum commendat tanquam divitem & nummoſum eum in finem, ut alterum inducat, quo debitori ſuo certam ſummum argenti vel auri credat, ex qua ſolutionem conſequi poſſit, tunc commendantem obligatum eſſe ex dolo aſſerere non dubitamus. Mendacium ſiquidem doli præſumtionem operatur *l.* 43. *ff. de furt. Maſcard. de probat. concluſ.* 532. *n.* 19 adeoque mendacio deceptus doli actione vel exceptione gaudet *per l.* 9. *§.* 1. *& l.* 37. *ff. de dol. mal. in qua lege* 37. talis habetur caſus; Si venditor commendandi cauſa quid generaliter dicit, ſic habendum quaſi neque dictum neque promiſſum ſit *l.* 19. *ff. de ædil. edict.* Si vero decipiendi animo hoc fecerit, actione de dolo tenetur. *Brunnemann. ad h. l.* At vero magnum

gnum incumbit illi onus, qui ex mendacio dolum vult arguere, tenetur enim probare commendationem aliter se habere & veritati adversari (2) ex malo animo & calliditate eam esse profectam *l.* 37. *all.* (3) eaque aliquem inductum esse, ut huic pauperi pecuniam crederet, qui pro divite est falso proclamatus & commendatus (4) & magnum etiam ex eo aliquem pati damnum ac læsionem non modicam *l.* 7. §. *fin. ff. de dol. mal.* quod falsa commendatione deceptus pecuniam crediderit ei, qui non est solvendo *Mev. p.* 6. *d.* 156. *jung. decis.* 38. *P.* 9.

§. V.

Secunda, quam regula nostra patitur, exceptio est, quod commendans, vel literas commendatitias scribens, valide obligetur, si suo periculo plenam fidem alicui adhiberi scripserit, tunc enim voluntas & animus obligandi a parte commendantis adest, adeoque actio mandati locum habet *per l.* 12. §. 13. *ff. mandat. Schneid. ad tit. Inst. mandat. pr. n.* 7. Quicunque enim dicit, ut suo periculo quid fiat, iste habuit animum ac voluntatem se obligandi. Quicunque autem habet voluntatem sese obligandi & facultatem, ille sese obligat. Si igitur talis commendans habuit etiam facultatem sese obligandi, uti præsupponimus, quin tunc etiam valide obligetur, penes nos nihil dubii residet. Hinc Domini Lipsienses anno 1632. ita pronunciarunt; Habt ihr selbsten berichtet/ daß ihr Veit Frantzen einen Kauffmann gebeten/ Nicol. Helbrichen euren Freunde/ so gedachten Frantzen unbekandt gewesen/ die Wahren abfolgen zulassen/ dabey auch ausdrücklich gesagt/ daß er es auf eure Gefahr thun solle &c. So

seyd

seyd ihr / wenn ihr auch gleich kein Kauffman wäret / vor euren Freunde zu hafften und die Bezahlunge zu leisten / schuldig V. R. W. *vid. Carpzov. P. 2. c. 18. def. ult. in fin.*

§. VI.

Tertia exceptio est, quod commendans alium ad officium vel munus publicum obligetur. Talis enim commendans instar fidejussoris habetur, adeoque obligatus est *per l. 2. §. 2. ff. ad municip. l. 6. C. de Decur. Magnific. Dom. Georg. Engelbrecht ad tit. ff. mandat.* §. 3. Quod eam ob causam inductum esse videtur, quia publice interest, ne inidonei & in habiles officiis publicis admoveantur, adeoque non facile quis prosiliat ad inidonei commendationem ad munus publicum, ex ea siquidem in totam rempublicam ingens detrimentum redundare potest. Quarta exceptio est, quod commendatitiæ inter mercatores obligationem & actionem mandati producant, quod ex duabus rationibus videtur esse profectum, quarum (1) est, quod commendans vel persuadens inter mercatores pro fidejussore semper habeatur, illorum siquidem maxime interest solutionem fieri justo tempore (2) quia exuberantissima inter mercatores requiritur fides, & juris apices non inspiciuntur, sed sola utilitas publica *Carpzov. P. 2. c. 18. def. fin.* Ob hanc & ultimam rationem cessare etiam excussionis beneficium inter mercatores, Campsores & nummularios asserit *Ant. Hering. de fidejuss. P. 1. c. 27. n. 282.* sed in hoc casu, ut accurate procedamus, ita distinguendum esse arbitramur; Aut mercator institorem suum in alienas terras proficiscentem commendatitiis instruit, aut alium mercato-

 rem

rem. Si prius, actio institoria ex ipsa præpositione descendens locum habet *per t.t. ff. & C. de instit. act.* sin posterius, tunc demum obtinent, quæ antea de hoc casu sunt dicta.

§. VII.

Quinta exceptio est, si commendans promittat se quid esse facturum v.g. se esse procuraturum solutionem Er wolle darob seyn / daß er solle bezahlet werden / oder er wolle ihm die Zahlunge verschaffen *vid. Carpzov. P. 2. d. 126. Finckelth. observ. 16.* jure enim naturæ æquum est, ut promissa serventur, quia nihil magis rectæ rationi convenit, hinc *in l. 1. ff. de const. pec.* dicitur, *quod grave sit fidem datam fallere.* Si igitur quis promissis sponte stare nolit, ille in judicio reus fidei violatæ peragi, &, vel ad fidem servandam, vel ad solutionem, cogi potest. Sexta exceptio est, quod commendatitiæ ad certum actum vel contractum directæ obligent, instar mandati enim sunt, adeoque mandati actionem producunt *l. fin. C. quod cum eo, & Brunnemann. ad l. 12. §. 12. ff. mandat.* Septima, uti nonnulli DD. volunt, esse videtur in juris Lubecensis dispositione, quæ legitur lib. 3. tit. 10. artic. unic. ubi hæc verba reperiuntur: Will jemand einen Frembden sein Gut nicht verkauffen / und ein ander stehet dabey und saget: Ihr möcht ihm wol vertrauen / die Bezahlung wird euch wol. Würde der Verkäuffer von den Käuffer nicht bezahlet / so muß derjenige / welcher den Frembden loben thät / dadurch der Verkäuffer verführet worden / davor hafften.

§. VIII.

Quemadmodum autem mandatoribus, qui ut alteri

teri

teri pecunia vel alia res fungibilis credatur, mandarunt, beneficium excussionis sive ordinis competit *nov. 4. cap. 1. Auth. præsent. C. de fidejussor. Mev. P. 4. d. 187. Ant. Daniel. Sonnemann. ad. cap. 1. all. nov. n. 12. item Jacob Cujacius ibit. Matth. Steph. ibid. n. 8 Rittershuf. ad nov. P. 3. c. 2. n. 15.* In effectu enim mandatores cum fidejussoribus conveniunt, saltem modo constituendi differunt, *Rittershuf. all. l. n.* 10. ita etiam illi, qui commendatitias scripserunt, quæ mandati instar obtinent, effectumque producunt, eodem gaudent beneficio, vi cujus, si prius conveniantur, quam commendati, qui sunt principales debitores, institutam actionem certo modo elidere possunt, ita scilicet ut prius commendati, cui pecunia credita, bona excutiantur, eoque solidum solvente, commendans in totum a nexu obligationis liberetur. Limitatur tamen *in nov. 4. c. 1.* hoc ita, modo (1) principalis debitor sit solvendo & (2) præsens *Rittershuf. all. l. n.* 15, alias mandator vel commendans nihilominus statim conveniri & valida adversus eum actio institui ac intentari potest. Longe plures quidem sunt limitationes, quibus beneficium ordinis circumscribitur, quas, cui volupe est, legere potest apud *Ant. Herig. de fidejuss. c.* 27. ubi viginti tres circiter limitationes hujus beneficii affert, ad quem brevitatis studio benevolum lectorem remittimus.

§. IX.

Cæterum antequam huic disputationi colophonem addamus, non possumus non paucis monere, quod commendatitiarum usus hodie sit permagnus, non minor tamen illarum abusus cernitur. Sed ac-

 quis

quis vinum contemnit, vel ut e medio tollatur suadet, propterea quod plures vino pereant, & abutantur? sic quoque nemo commedatitias propter abusum condemnare & iniquitatis accusare, vel ut aboleantur, & in desuetudinem deducuntur, consilium dare potest. Usu tritum illud huc quadrat; *maneat usus commendatitiarum, & tollatur abusus.* Si vero requisita illa, quæ tam in personis, quam in rebus commendandis supra desideravimus & tradimus, a quovis literas commendatitias scribente accurate abservata fuerint, nulli dubitamus quin commendatitiæ justis limitibus circumscriptæ commerciis & Reipubl. magnum sint allaturæ commodum ac emolumentum. Atque hic pedem figimus Deoque T. O. M. omnes nostros conatus porro commendamus, velit eos ita dirigerere, ut in Divini Nominis sui gloriam & proximi commodum vargant.